





de iis qui in Acad. Lips. à tempore Reformationis Dd. Theol. honores consecuti sunt.

14.

AD  
PANEGYRIN ACADEMICAM,  
QVA,  
QUINQUE CANDIDATI,  
VIRI REVERENDA DIGNITATE, PIETATE  
DEVOTA, ET ERUDITIONE OMNIGENA  
PRÆCLARISSIMI,  
SACROSANCTÆ THEOLOGICÆ  
LICENTIATI,  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
AD DIEM VI. NOVEMBRIS,  
HORIS ANONA MATUTINIS,  
PUBLICE SOLEMNITERQUE  
RENUNCIABUNTUR,  
PROGRAMMA INVITATORIUM  
FACULTATIS THEOLOGICÆ  
HODIERNI  
PRO-CANCELLARII.

1645

---

TYPIS HENNINGI COLERI,  
ANN. M. DC. XLV.

\*

14

17  
436  
2,20







**N**OVAM non Ecclesia & Respublica Christiana à Satana ejusq; satellitibus fuit infestata. Toti nunc mille sunt anni, ex quo prodit teterrimus impostor & paganus Antichristus, Muhammed, cujus deinceps successores & ad seclæ Christianâ rempublicam dimidiâ propemodû parte imperii mulctarunt, & in vectò falsò fidei canone & falsa religione, Ecclesiam mirum quantum labefactarunt. Et enim locò Scriptura Sacrosancta, quam divinum cano-  
*Galat. 6. v. 16.* nem post Paulû verè vocavit Vincentius Lerinensis, *Philipp. 3. v. 16.* novam religionis normam & amussim proponunt Alcoranum, operâ Sergii monachi Nestoriani & Arriani consutum. Scilicet vult DEUS, quod tamen credat Muhammedanus nemo Christianus, ut sicuti lex Moysis cessit Evangelio: ita Evangelii autoritas expiret, ejusq; vices expleat Alcoranus. In quò verò religionis Muhammedana principio ea reperiuntur, quæ nil nisi superbiam, impudentiam & grandem impietatem præ se ferunt. Quæ enim est impietas, pro Personarum Deitatis Trinitate polythëias stultitiam credere, & Christum Deum esse negare, eumq; Muhammedi postponere? Nec sine blasphemia Iesus in phantasmate tantum crucifixus dicitur, & sacramenta ab ipso instituta, baptismus & Cæna Do-  
mi-



mini, exploduntur. Sic etiam vitam eternam ex carnalibus voluptatibus estimant, ne alia portentiloquia nunc recenseam, quæ Daniel <sup>דניאל</sup>, h.e. superba, dixit. *Simul* cap. 7. 8.  
verò ac Antichristus major orientalis, quem Muhammedem dicimus, Ecclesiam fraudibus ac persecutionibus gravissimis afflixit, Antichristus occidentalis quoque incepit in templo DEI sedere, & perdere corrumpendo 2. Theff. 2. v. 4. tam robustos, quàm populum sanctorum: quem admodum Daniel de Antiocho, quatenus Antichristi c. 8, 24. Ecclesiastici typum gerit, loquitur. Quibus in Ecclesia excitandis turbis primus, nisi fallor, Phocas Tyrannus fuit, qui ansam præbuit. Quæ alii sequebantur Pontifices, qui simulabant quidem veritatem in doctrina, & innocentiam in vita, re vera autem erant homines fide perditissimi, & moribus pessimi: quippe intrusi sunt in cathedram Petri homines monstruosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usque quaque fœditissimi: visu horrenda monstra, ut testis est Baronius Cardinalis.

Sed licet Ecclesia & Respublica Christiana ab utroque illo Antichristo majore, eorumque ad seclis, fuerit turbata; eam tamen penitus evertere minimè potuerunt. Sic enim de perpetua illius cōservatione Jesus ad Petrum: Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo meam Ecclesiam: & portæ inferorum non prævalebunt ei. Matth. 16. v. 18. Petram, cui Ecclesia firmiter inædificanda est, appellat do-



*Trinā fundamentalem, quam Petrus, & quotquot cre-  
dentes ceu vivi lapides in petra Christo sunt, ut Chry-  
sostomus loquitur, πεπελεγμένοι, confitebantur. Non  
enim à Petro petra, scribit Augustinus, tractatu in Jo-  
annem ultimo, sed Petrus à petra: sicut non Christus  
à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur.  
Ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædifi-  
cabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus, tu es  
Christus filius DEI vivi. Super hanc ergò, inquit, Pe-  
tram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiā meam.  
Petra erat Christus, super quod fundamentum etiā  
ipse ædificatus est Petrus. Cui petra firmissima cum Ec-  
clesia fuerit inædificata, mirum non est, quòd porta in-  
ferni ei non sint prevalitura: quas tamen non unò modò  
explicant interpretes. Quia portæ non tam sunt ad oppu-  
gnandum, quàm propugnandum aptæ; atq; hic non pro-  
pugnantium, sed oppugnantium vehementia describitur:  
interpretantur nonnulli portas inferni de vi Satanae. quæ  
se tuetur adversus Ecclesiam, perpetuo contra ipsum mili-  
tantis, insultus. Sunt etiam, qui de Satanae technis & con-  
siliis enarrant, cum olim consilia in urbium portis fuerint  
habita. Inveniuntur deniq; qui de vi mortis & sepulchri  
accipiunt, quasi hoc Christus voluerit: Abripiat mihi  
mors fideles meos, atq; ita dejiciat, ut penitus de ipsis actus  
videatur; non eripiet. Quamcunq; verò harum explicatio-  
num*



num eligas, vides: Christum Ecclesie sua promississe, perpetuò mansuram, neq; cuiusquam vires esse tantas, quæ superare ipsam possint. Quæ nullo alio teste egent, quàm eo, qui ipsissima est veritas, JESUS CHRISTUS. Si egerent, jungi possent Doctores, quos Doctor doctorum Ecclesie, ut ab interitu eam vindicarent, dedit fidissimos. Et alios quidem, ut de suo tempore jam olim scripsit beatus Paulus Doctor orbis, quem Chrysostromus salutavit, constituit DEUS in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Et loco aliò: Is (Christus) igitur dedit alios quidē Apostolos: alios verò Prophetas: alios autem, Evangelistas: alios autem, Pastores & Doctores. Ubi Doctorum nomine sunt intelligendi, qui vel in scholis vel in templis docent. Quales quōdam erant Synagoga judaica doctores: quos sequebantur in No. Testamento Paulus, eiusq; in hocce docendi munere, successores, qui & ipsi doctores appellabantur, locis supra citatis, & in libro, quem πρᾶξι ἀποστόλων vocant. Reliquos Ecclesie doctores, qui hos proximè sunt sequuti, nimis esset longum, si vellem recensere. Qui tamen à temporibus Apostolorum ad annum Christi millesimum usq; vixerunt, & scripturam interpretati sunt: unde & ecclesiastici doctores appellantur: atq; hęc ratione à Doctoribus Ecclesie succedentium temporum distinguuntur, qui Theologiam, quam vocant, schola-

1 Cor. 12.  
v. 28.  
homil.  
39. in  
Genes.

Eph. 4. 11

Luc. 2.  
v. 26.  
Job. 3, 10  
Rom. 2.  
v. 20.  
1. Tim. 2.  
v. 7. 2. c.  
1. v. 11.  
Añ. 13.  
v. 1.



ficā professi sunt, adeoq; Doctores scholastici nuncupantur. Et quamvis nomē illud iis, quibus imponebatur, officium tantum in memoriā primū revocabat; postea tamen honori & auctoritati docentiū quoq; velificabatur. Quò tamen Doctores titulò primi inter Jctos qui claruerūt, Bulgarus, Hugolinus, Martinus, & Pileus fuerunt. Ut enim professioni LL. publica, quā illi fungebantur, debitus redderetur honos, Lotharius Saxo Imperator prudentissime mādavit, ut ijs, & alijs, qui Legibus enucleandis suam impendebant operā, gradus doctoreus conferretur. Cūmq; p̄memorati, & ceteri, qui inter Jurisperitos eminebant, sic appellarentur, usus interim obtinebat, ut titulus MAGISTRI summus esset, quò Theologorum excellentissimi insignirentur. Quod vel ex sola inscriptione elucescit, quā hodieq; in cabano Electorali aulico versatur, & Doctoribus p̄sert Magistros. Etenim olim idem erat MAGISTER THEOLOGIE, quod nostro seculo est EIVSDEM DOCTOR. Quotamē titulo, primus inter Theologos Petrus Lombardus, apud Parisienses honorabatur. Floruit autē eo tempore, quo Gratianus, & sicut iste collegit canones, & Canonistarū q̄s. Doctor fuit: sic ille collegit Sententias Sacrorū Theologorum & Doctor sententiarum, Theologorūq; scholasticorū dici meruit. Et quia honos iste academicus non solum dignitati ordinis Theologici asserenda inseruit, sed alit etiā artes sacras, omnesq; incēdimur ad studia gloriā, & jacent ea



semper, quæ aut negliguntur aut improbantur, jure merito in Academiis Christianis eum sartum tectumque servamus. Taceo, quod virtutum præmia tribui merentibus conveniat, quemadmodum jam dudum Theodosius & Valentinianus rescripserunt. Equidem unus est Doctor noster, IESVS CHRISTVS, nec ullus hominum eò sensu sic debet nuncupari. Interim tamē nemini dubiū est, quin liberum sit maximeque deceat Doctoris titulum erga benè meritos & in omni doctrinā versatissimos homines, sine ulla supremi illius Doctoris injuriā, modestè usurpare, dummodo distinguamus, quid divine gratiæ, & quid humanæ honorificentia causa dicatur, quemadmodum rectè monet Augustinus. Ille Doctor est Magistralis, imò & Magisterialis, quem vocant, hi autem ministeriales sunt, & sic dicuntur, utpote qui nutum magistralis & authoritativi illius Doctoris tenentur sequi. Quod si attendisset Andreas Carolstadius, Doctoris titulum non fuisset aspernatus, nec etiam, cum in actu promotionis Joāni VVestermanno & Godscalco Grapio honores Doctoreos conferret, publicè dixisset, se posthac nemini gradum esse collaturū, eò quod promovendo alios in Doctores sciens ac prudens faciat contra dictū Christi, quod supra citavi, nempe, istud: Vos nolite vocari Rabbi. Unus est enim Magister vester, Christus, quem, eo in furore fanatico, secutus est

Matth.

23. v. 8. 10

& Job.

13. v. 13.

Matth. 23

v. 8.

Jo-

17

2, 20





Johannes Molanus, *cujus haec, in Compendio Theologiae practicae, sunt verba:* Inanes sunt & irriti illi promotionum tituli, qui se ab obedientia summi Pontificis retraxerunt.

*Inter quos Doctores SS. Theologiae recentiores, ne de antiquioribus nunc dicam, procul dubio divinus ille Doctor Martinus Lutherus, eminuit. Eum secuti fuerunt plurimi, si non eruditione & virtute vere heroicâ, dignitate tamen doctoreâ pares. Testes producere, si esset opus, Academias Christiano-Lutheranas, quae nunquam non senserunt, sacrorum desiderium in juventute academica magis accendi, si eos, qui optimè se gesserunt, honorari, conspexerint, & in publico Universitatis consessu Promotoris voce magnificè proclamari, & non paucos ex spectatoribus virtutum & laboris amore inflammari. Sola Academia nostra Lipsiaca suum jam ferat testimonium. Licet enim ea tenebris Papisticis plusquam Cimmeriis fuerit involuta; non paucos tamen in Doctores Theologos promovit, atque sic vel nesciens curavit, ut lux veritatis Evangelicæ accenderetur. Cui namque gradus doctoreus confertur, potestas datur publicè & ubiq; servato tamen ordine, quem Deus ipse in Ecclesia instituit, docendi, disputandi, legendi, & taxandi errores. Unde & divus noster Martinus Lutherus non semel de semetipso testatur, quòd saepius consolationem hauserit ex sua promotione doctorali, in qua publi-*



publica potestas docendi Evangelium, & errores taxandi, sibi fuerit tradita. Et Jacobus Gretserus ipse fatetur, Doctorem SS. Theologiae esse, cui ex potestate Universitatum publica, certis adhibitis ceremoniis potestas docendi, non sine dignitate & honore, confertur. Ac ut eos, qui ante Reformationem, quam vocant, in Doctores Theologos fuerunt promoti, nunc praeteream, certè vel illi non pauci extiterunt, qui à tempore restauratae Religionis Christianae, in hac nostrà Academia, Licentiam promovendi in SS. Theologiae Doctores impetrarunt, quorum plurimi etiam Doctores ipsi postmodum fuerunt proclamati. Primus fuit Nicolaus Steibelius, quem sequebantur Casparus Bornerus, Bernhardus Ziglerus, Johannes Pfeffingerus, Balthasar Leu, Victor Lampadius, & Andreas Samuel. Hisce annumerandus est Wolfgangus Schirmeister, qui quidem Licentiam adhuc ante Reformationis tempus reportavit, sed in Doctorem, post eam, anno nempe, à nato Salvatore, 1543. fuit creatus. Cui postmodum successerunt Antonius Mufa, Lampertus à Balven, Wolfgangus Pfenterus, Nicolaus Herco, Georgius Zelerus, Johannes Meufelius, Valentinus Pacæus, Andreas Knauer, Henricus Salmuth, Conradus Meufelius, Petrus Helbron, Bartholomæus Rumbaum, Wolfgangus Harderus, Andreas Freyhaus, Georgius Lu-

Luth.  
Acad.  
cap. 23.

B de-



derus, Balthasar Sartorius, Zacharias Schilterus,  
Johannes Siligerus, Burchardus Harbartus, Johan-  
nes Salmuth, Simon Gediccus, Georgius Weinri-  
chius, Cornelius Beccerus, Vincentius Schmuccius,  
Erhartus Lauterbach, Johannes Försterus, Johan-  
nes Mülmannus, Hieronymus Kromayerus, Leon-  
hartus Rechtenbach, Christophorus Walpurgerus,  
Johannes Schreiter, Johannes Cramer, Antonius  
Thörmer, Henricus Höpffnerus, Johannes Höp-  
nerus, Johannes VVinter, Gabriel Lotherus, Tho-  
mas VVeinrichius, Christianus Lange, Paulus Me-  
nius, Andreas Bauerus, Mauritius Burchardus, Ana-  
nias VVeberus, Christianus Grossius, Michael Ka-  
lertus, Andreas Kunadus, Jeremias VVeberus, Da-  
vid Auerbach, Christophorus Bulæus, Johannes  
Benedictus Carpzovius, Antonius Kirchoff, Johan-  
nes Höferus, Georgius Seidelius, Paulus Höpner, Se-  
bastianus Godofredus Starck, & Samuel Dange *tan-*  
*dē. Hi nempe sunt, qui post Reformationē, in nostra hac A-*  
*cademia, non tantum Licentiam promovendi in Docto-*  
*res Theologos acceperunt, sed in Doctores etiam ipsos*  
*evaserunt, vel viginti exceptis, qui Licentiam solūm*  
*fuerunt adepti, eamq; adhuc habent. Sunt autem, si eos*  
*repetere liceat, Nicolaus Steibelius, Balthasar Leu,*  
*Victor Lampadius, Antonius Musa, Lambertus à*  
Bal-



Balven, Valentinus Pacæus, Conradus Meuselius,  
Johannes Siligerus, Johannes Salmuth, Johannes  
Mülmannus, Hieronymus Kromayerus, Johannes  
Cramer, Michaël Kalertus, Jeremias VVeberus, Jo-  
hannes Benedictus Carpzovius, Antonius Kirch-  
hoff, Georgius Seidelius, Paulus Höpner, Sebastia-  
uns Godofredus Starck, & Samuel Lange.

*Gravissimum est Pauli monitum ad filium suum in  
Jesu Christo, Timotheum, ne manus citò cui impo-  
nat. Inquirendum namq; est in doctrinam illius & mo-  
res vivendi, cui manus imponenda. Stude te ipsum,  
ut iterum scribit Paulus ad Timotheum, probatum si-  
stere DEO operarium, qui non erubescat, & qui  
rectè sermonem veritatis secet. Quod utrumque  
etiam ex Patribus Augustinus non semel conjungit,  
docetq; quomodo vita Doctoris ecclesiastici doctrine il-  
lius debeat respondere. Cùm verò, ait, boni, fide-  
les, bonis fidelibus hanc operam commodant, utri-  
que sua dicunt: quia & DEUS ipforum est, cujus  
sunt illa quæ dicunt: & ea sua faciunt, quæ non  
ipsi componere potuerunt, qui secundum illa  
compositè vivunt. Quod si autem de ijs, quibus cura  
demandanda est ecclesiastica, teneamur observare; cer-  
tè quàm maximè in id incumbendum est, ubi benè meritis*

1. Tim. 5.  
v. 22.

2. Tim. 2  
v. 15.

lib. 4. de  
doctrin.  
Christia-  
na c. 29.

B 2 li-

17

4, 20





licentia publicè conferenda promovendi in Doctores.  
Illi namq; uni tantum commendantur Ecclesiæ; hi ve-  
rò publicum & toti orbi litterario expositum pietatis,  
eruditionis reliquarumq; virtutum accipiunt testimo-  
nium. Unde & in capite decimo quinto Statutorum Fa-  
cultatis Nostræ Theologicæ extant verba, quæ notatu  
sunt digna, quæq; nunc non pigebit transscribere. Delectus  
sit igitur, *Majores venerandi admonuerunt*, in admit-  
tendis ijs, qui gradus petunt, & ut Paulus præcepit,  
ne quibuslibet manus imponatur, ita nō omnibus  
impertienda hæc testimonia, quæ certè bonâ con-  
scientiâ idoneis tantum tribuenda sunt. Quare  
non sunt admittēdi ad gradus, fascinati pravis opi-  
nionibus pugnantibus cum doctrina Ecclesiarum  
nostrarum, item nulli admittendi sunt infames,  
nulli manifestæ scortationi dediti, sed sint mores  
eorum, qui admittuntur ad gradus, modesti & ca-  
sti, ut de Episcopo præcipit Paulus. *Tales nunc  
produco CANDIDATOS QVINQVE:*  
*in quibus Pietas ac Eruditio ita certamen quoddam ini-*  
*verunt, ut, quæ palmā obtinuerit, nescias. Postquā enim*  
*multis abhinc annis à FACULTATE NOSTRÀ THEOLO-*  
*GICÀ primum in Theologiâ gradum, quem titulum*  
*Baccalauri salutant, impetrarunt, tales in officiis cum*  
*Academicis, tum Ecclesiasticis se gesserunt, quales decet esse*  
ho-



homines erga Deum & Ecclesiam juventutemq; schola-  
sticam pios ac sedulos. Ac proinde vel ob hoc solum di-  
gni sunt, qui pedem moveant altius, & publicis pietatis  
doctrinaq; sua testimoniis exornentur. Quam tamen  
ascendentiam (vulgò LICENTIAM dicunt) cum  
à COLLEGIO NOSTRO THEOLOGICO  
eà quà decet, modestà observantià pronuper peterent,  
petito eorum honestissimo noluit refragari, ut suum cuiq;  
tribuat, & in animis spectatorum ad diligentem litera-  
rum sanctarum tractationem moveat incitamentum.  
Unde denominatis modò QVINQVE CANDI-  
DATIS non solum fores ad lectiones cursorias publi-  
cè habendas fuerunt aperte, sed examē etiam rigerosum in-  
dictum, in quo, de rebus ad fidem moresq; vivendi per-  
tinentibus, ex libris prophetis & apostolicis, scriptisq;  
symbolicis, cum eis placidè modestèq; contulimus. Ut  
verò alii etiã publicè audiant, quàm egregios & omnium  
bonorum applausu dignos in studio Theologico fecerint  
profectus, secundū morem & Statuta Facultatis Nostræ  
Theologicæ, dies V. & VI. Mensis Novembris præstitu-  
ti fuerunt, quibus disputationes ex libro Esaiæ divinissi-  
mo, de JESU CHRISTI Conceptione, Nativitate, do-  
nis, vita, passione, morte, sepultura, & resurrectione  
conscriptas, haberent. Ille equidem, horis à 11. post-  
meridianis; hic verò à septima matutina & reliquis, quæ

B 3 ad



ad undecimam usq<sup>3</sup> sequuntur. Locum ut indicem, non est opus. Consuetus enim est ille, & auditorium inferius Collegii Principum majoris dicitur. Hic, inquam, locus erit exercitio isti academico sacer, & novis Designandorū (sic Licentiandos appellant Statuta nostra Theologica) honoribus felix, faustus fortunatusq<sup>3</sup>. Ibinamq<sup>3</sup>, die postero, h. e., horis à nona matutinis diei VI, Novembris, Candidatis illis SS. Theologia dignissimis, post exantlatos eorum labores, merita tribuam premia, eosq<sup>3</sup> omnes ac singulos, ex consensu Collegii Theologici unanimi, SS. THEOLOGIAE LICENTIATOS publice solemniterque proclamabo. Quicquid autem fecero, ex auctoritate SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS, ET REVERENDISSIMI PRÆSVLATUS MARTISBURGENSIS POSTULATI ADMINISTRATORIS ILLUSTRISSIMI, ACADEMIÆ HUIUS CANCELLARII PERPETVI, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI, fecero, quā in presentia fungor. Sunt autem isti, ut eos Statuta Nostra Theologica appellitant, Designandi numero quinque, quorum nomina fano honoris consecranda.

DN. M. ABRAHAMUS TELLER, ECCLESIAE AD D. NICOLAI, QUAE LIPSIAE EST, ARCHIDIACONVS.

DN. M. GOTOFREDUS SLUTTERUS, PROFESSOR IN ACADEMIA LIPSIENSI DIALECTICES PUBLICUS.

DN.



DN. M. HIERONYMUS KROMAYER, PROFES-  
SOR HISTORIARUM IN ACADEMIA LIP-  
SIENSI PUBLICUS.

DN. M. MARTINVS GEIER, PROFESSOR LINGVÆ  
SANCTÆ IN ACADEMIA LIPSIENSI PVBLI-  
CVS, ET IBIDEM AD D. THOMÆ ECCLESIA-  
STES.

DN. M. GOTOFREDVS SIGISMVNDVS PEISKER,  
PASTOR ET SVPERINTENDENS BISCHOFF-  
VVERDENSIS.

*Cum Scipio, imperii Romani propugnaculum, Censor  
esset creatus, noluit in carmine tritum illud poni: DII  
AVGETE: sed solummodo: DII CONSERVATE REMPV-  
BLICAM. Deus misericordissimus, in turbis hisce impetuo-  
sissimis. Rempublicam nostram literariam non tantum  
conseruavit, sed in dies etiã adauget. Taceo non discen-  
tium numerũ, qui hocce annõ non parũ sensit incrementi.  
Tantum docentes revoco mihi in memoriam, quibus non  
unum ac alterũ adjungimus, cum creationem QVINQVE  
SS. THEOLOGIE LICENTIATORVM publicè nunc intima-  
mus. Quapropter etiam nulli dubitamus, quin Rector  
Magnificus, Patresq; Academiæ conscripti univer-  
si, nec non Studiosi nobilissimi & eruditissimi, incre-  
mentum hocce academicum frequentia sua singulari &  
auscultatione attentã sint excepturi, Deumque ter opt.  
max. devotissimi nobiscum exoraturi, ut Rempublicam  
nostram literariam si non augere, dignetur tamen con-  
servare. P. P. LIPSIÆ DOMINICA XXII. SS. TRI-  
NITATIS. M. DC. XLV.*









*de usque in caelo. Lix*

**QVIN**  
VIRI RE  
DEVO

*honores consecuti sunt.*

14.

**IDATI,**  
PIETATE  
IGENA

1645

**RIUM**  
Æ

**RII.**

14

17 4 26 4 26

**KODAK Color Control Patches**  
© The Tiffen Company, 2000  
**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8